

Kem 3497
(1 - 19)

554



D E

(4)

VETERIS EMPIRICAЕ SCHOLAE
D I G N I T A T E,

AUCTORITATE FACULTATIS MEDICAE,

P R A E S I D E

C U R T I O S P R E N G E L,

M E D I C . E T B O T A N . P R O F . P U B L . O R D . ,

U T

G R A D U M D O C T O R I S M E D I C I N A E

E T C H I R U R G I A E

L E G I T I M E A C Q U I R A T

D I E X I I I . S E P T E M B R I S M D C C C C .

P U B L I C E D I S P U T A B I T

A U C T O R


C A R O L U S I U L I U S S C H U L T Z E ,

P E R L E B E R G A P R I G N I T I U S .

H A L A E ,

T Y P I S I O A N N I S C A R O L I D I E T L E I N K I .





V I R O

EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

CAROLO FRIDERICO BEUST,


MEDIC. ET CHIRURG. DOCTORI,
ARCHIATRO POPULARI ET POLIATRO
PERLEBERGENSI,

AMICO SUO AESTUMATISSIMO

SACRUM ESSE VULT HOC SPECIMEN

A U C T O R.





B•E•S•C•C•

P r o o e m i u m.

Quum Empiricam vocamus medicinam, in
promtu est, vario significatu vocem ipsam
adhiberi, indeque abs re haud esse videtur in
limine tractationis, quae historiam Empiricae
scholae veteris quodammodo illustratura est,
homonymia satis explicata, sensum, quo apud
nos illa denominatio accipienda sit rite ex-
plicare. Ipsi⁹ vocis ἐμπειρίας λατεῖος vi iam

patet, medicinam illam, de qua loquimur, sectari experientiam, et experimenta pro basi, ut ita dicam, ponere. Verum enim vero, quum omnis medicina ab experientia proficiatur, ab ea quae ortum suum duxerit,¹⁾ neque ullus possit esse sine experimentis institutis medicus,²⁾ illeque vero demum sit medicus, qui naturam experientia cognitam sequatur, utique omnem medicinam recte vocaveris empiricam.³⁾ Sed nobis ista laxior significatio haud sufficit: nolumus enim omnes omnino medicos nomine complecti empirico-

¹⁾ Celsus praefat. ab initio.

²⁾ Gaubius pathol. §. ultim.

³⁾ Richter de vet. Emp. ingenuitate in opusc.

rum, sed illos tantum, qui abiecta dogmati-
corum theoria solam secuti sunt experientiam,
atque observando, non ratiocinando sedem
naturamque morborum eorumque remedia iu-
dicaverunt. Fuere et olim et quod dolendum
est, apud nos sunt, qui theoria rationali
medica spreta morbos curare satagerent etiam-
numque satagant: sed hi cum omnis artis
sint imperiti, atque ex crassa quadam rerum
ignorantia vituperent quod non didicerunt,
quamvis interdum medicorum rationalium spe-
ciem prae se ferant, agyrtis potius et im-
postoribus sunt accensendi, quam medicis,
et pessime faceret, qui venerabile empirico-
rum nomen indignis humanae societatis pe-
stibus tribueret. Nobis est Empiricus, qui
dogmata seu theorias satis edoctus, tamen eas

ideo reiicit in curandis morbis, quod eas
parum vel nihil conferre ad istos tollendos
argumentando sibi persuasit. Horum vero
cum apud veteres fuerint plures nec malae
nec obscurae famae viri, operae pretium mi-
hi visum est, quae de historia veteris scholae
Empiricae apud scriptores reperi, in com-
pendio tradere, et quatenus vel errasse vel
vera sensisse mihi visi sunt, brevi notatione
subiungere.

S E C T I O P R I M A
H I S T O R I C A.

§. I.

Quodsi variae scientiae humanae a sola ratione profiscuntur, v. c. Mathesis, Logica, Ontologia, sunt quoque multae experimentales, quae ab experientia natae, ab eadem sua incrementa regularerumque suarum demonstrationes acceperunt, quales sunt agricultura, ars nautica, aliaeque. His quoque medicinam accensendam esse, nemo non videt, quum ea ab experientia ortum suum nacta sit. 1)

1) GAL. de subfig. emp. C. 2. Celsus praef.

At de quaestione, utrum medicina sit solum experimentalis ars, an vero et ratione, h. e. conclusionibus, ab occulta causa ductis constet, in diversas partes olim abidere medici, aliis hoc, illud aliis asseverantibus. Illi dogmatici, seu rationales, hi empirici dicebantur. Fuere autem Empirici, **GALENO** teste, ²⁾ qui summam cautionem sequentur, ne quis ullo pacto ab indicatione quidam inveniri opinetur: neque enim veluti Rationales medicam artem indicatione simul et experientia constare putabant, sed experientiae totam inniti, quam ex eorum observatione, quae saepe simili modo contingunt, conflari affirmabant. Ex his verbis, quae **GALENI** sunt, apparet, Empiriam Veterum nihil fuisse aliud, quam medicinam et in cognoscendis et in curandis morbis sola observatione stabilitam, reiecta omni derivata ab obscuris causis theoria.

§. 2.

Ab omni aevo medicina quaedam suorum dogmatum ex doctrinis philosophorum illustrare solita

²⁾ l. c. C. 1.

est. Olim certe haec ars erat sapientiae professorum, h. e. philosophorum, qui eam soli exercebant, 3) donec **HIPPOCRATES** Cous philosophiam a medicina separaret.

Interea tamen philosophiae magnum, immo maximum cum medicina supererat connubium. Sic quoque Empirici a Scepticis multa suorum sumserunt: nam ipso eo tempore, quo **PYRRHONIS** Schola inclarescere coepit, prodiit inter medicos Empirica Secta, 4) cuius rei ratio in promtu est. Docebant enim Sceptici nihil fidei esse et securitatis in rationali conclusione et theorematibus a priori, ut ita dicam, derivatis, et hoc ipsum fere omnis Empiriae est fundamentum: iisdemque armis, quibus Sceptici utebantur, dimicare consuecebant empirici.

Quum vero nobis in animo sit, veritatem **solum** sectari nihilque nisi eam, operae pretium est,

3) Celsus *præfat.*

4) *K. Sprengels Geschichte der Arzneykunde, Tom. I, p. 611.*
Ed. secundæ.

brevem Scepticae scholae descriptionem exponere,
quo appareat, eam adeo obsonam erroribusque
refertam hand fuisse, ut vulgo creditum est.

§. 3.

Secta Sceptica, quae a σκέπτεσθαι nomen suum
accepit, 5) alias *Ephectica*, *Zetetica* et *Aporē-
tica* nuncupata, 6) PYRRHONEM Eleaticum agno-
scit auctorem. Vixit vero PYRRHO temporibus
Alexandri Macedonis, ita tamen, ut neque nativi-
tatis neque obitus eiusdem annus certo definiar-
tur. 7) Pyrrho cum diu multumque philosophorum,
quorum id temporis scholae celerabantur,
sententias rimatus fuerit, spretis tandem eorum
opinionibus, novum sistema condendum esse
censuit.

Illud vero Pyrrhonis in philosophia placitum
adeo displicuit reliquis, ut, quae possent, ad invi-

5) Sext. Empir. Pyrrh. Hypot. Lib. I, Cap. 3, pag. 2.

6) Suidas art. Πυρρών.

7) Brucker. Hist. Phil. Tom. I, p. m. 1523.

diam scepticae sectae movendam conferrent. Quae scilicet a Dogmaticis obliiciuntur sectae Pyrrhonis, ridicula maximam partem sunt, et ab omni veritatis specie longe aliena.

Sublatum esse aiunt a scepticis omnem veritatis inveniendae modum, sensuum scilicet et rationis testimonium, quod tamen falsum esse testatur **SEXTUS EMPIRICUS. 8)** „Qui autem, inquit, „aiunt, scepticos tollere apparentia (*τὰ φαινόμενα*) „hi ea, quae a nobis dici solent, percepisse non „videntur“ etc., neque unquam Sceptici adeo insaniebant, ut nullam omnino veritatem esse asseverarent, sed in eo potius versabantur, ut dogmatorum temeritatem in scrutandis obscuris rebus redarguerent (*ἐπιδεικνύντες τὴν προπέτειαν τῶν δογμάτων ἐν τοῖς αἰδήλοις.*

Quum vero Sceptici interdum plus iusto dubitationi concederent, factum est, ut nonnulla, quae scrutamini humano subiacent, atque detegi bene possunt, occultis annumerarentur ab iisdem,

8) I. c. S. 1. C. 2.



et tanquam perpetua caligine tecta praeterirentur. Sicut vero in rebus sapientiae Sceptici incertitudinem ubique videbant, ubi dogmatici philosophi omnia certa habere sibi videbantur, sic Empirici inter medicos solis observationibus contenti, rationem et a cognitione morborum et ab eorum curatione exulare iubebant.

§. 4.

Ut schola sceptica a scrutamine et dubitatione, sic Empirica ab observando et experiundo dicta est. Supra iam observavimus, omnem medicinam olim fuisse empiricam: at, si de tempore quaeratur, qua differentia inter dogmaticos et empiricos obtinuit, veteres id non ita diu post mortem Alexandri factum esse asseverant. Creditum quidem est, **ACRONEM** iam Agrigentum, Empedocli tempore aequalem, fundamenta huius scholae posuisse, sed, cum praeter ignotum quemdam hominem 9) nemo id testetur, atque temporum antiquissimum ratio contraria sit, multo omnino iuniorem

9) Pseudo - **GAL.** isagog. p. 372.

putamus hanc scholam Alexandroque parum posteriorem.

Postquam enim **PHILINUS** Cous Hippocratis libros diligenti scrutamini subiecisset, et ea, quae a magistro suo **HEROPHILO** Chalcedonio acceperat, cum iis contulisset, quae ab Hippocrate modestius, ab huius autem discipulis minus modeste dicebantur, videretque totum Hippocraticum sistema tali non adeo firmo niti, novam sibi in rem ardua ac difficulti viam esse ingrediendam censuit.

Quum enim **HIPPOCRATIS** summa esset auctoritas, et tamen plurima haberet, quae facile per *autoψιαν* et anatomicas observationes refellentur, de omnibus dubitare coepit **PHILINUS**, quae ab Hippocrate eiusque sectatoribus dicebantur, quatenus haec ratione scilicet comprehendebantur. ¹⁰⁾ Si nobis Philini Commentarii in Hippocratem superessent, longe accuratiorem huius rei descriptionem dare liceret: ut vero res nunc

¹⁰⁾ SPRENGEL l. c. 628 et Scriptt. ibid.



sese habet, perditis scilicet veterum illorum libris,
in relationibus aliorum est subsistendum.

PHILINUM secutus est **SERAPIO** Alexandrinus,
quem Celsus ipsius sectae Empiricae auctorem fuisse
asserit.¹¹⁾ Huius viri merita in Empiriam in
eo constitisse videntur, ut illam ad artis formam
magis exigeret et Hippocraticos plane refellere sat-
ageret. Igitur quoque inter illos censemur, qui
acrius contra Hippocratem scriberent.¹²⁾ At ne-
que vituperio caruit **SERAPIO**, quod et forsitan me-
ritus est: nam si vera sunt, quae **CAELIUS AURE-**
LIANUS narrat, quaeque a Cel. SPRENGEL¹³⁾
referuntur, Empiria viri non omnino digna est,
quae dogmaticis subtilitatibus opponatur: suadet
enim medicamina plura a superstitione atque igno-
rancia, non vero a iustis observationibus profecta,
e. g. cerebrum camelii, stercus crocodili, cor le-
poris, testiculos apri, quorum tamen insignem
aliquem effectum observare certe non potuit.

11) Cels. praefat.

12) Galen. de subfig. Emp. C. 15.

13) l. e. p. 629.

Post mortem **SERAPIONIS**, qui Alexandriae ubi docuerat, obiisse videtur, **HEROPHILI** Sectatores latum Empiricis campum ad refutandos Dogmaticos aperuerunt, cum his sese quodammodo coniungentes. **HEROPHILUS** quidem ipse temporibus Ptolemaei Lagidis vel Philadelphi in Aegypto claurit, paulo ante Erasistratum vel simul cum eo, vir de omni Anatomia, quin et de reliqua medicina optime meritus, quem deinde secuti **APOLLONIUS** Biblas dictus et **GLAUCIAS**, Serapionis etiam vestigia premebant. Uterque, qui in Hippocratem commentatus est, qui Lexicon Hippocraticum composuit, magnam eruditionis et felicium curationum famam reliquit. Neque tamen eo minus a veteribus accusantur, quod iusto protervius sua admirati, aliena spreverint. 14) Ceterum vero, cum iam ex Herophili instituto Anatomie etiam Empiricis lucem praeferret, et multa demonstraret a dogmaticis minus recte dicta atque deducta, cumque Empirici ut ex Galeno patet 15)

14) Galen. de subfig. Emp. C. 15.

15) I. c.



dialecticis artibus uterentur, multo facilius contra dogmaticos agere poterant. ¹⁶⁾)

Ex omnibus vero Empiricis maxime celebratur **HERACLIDES TARENTINUS**, qui tamen non in nuda observatione subsistendum sed et rationem in auxilium vocandum esse censuit. ¹⁷⁾)

Neque praetereundi sunt hoc loco, **ATTALUS** et **MITHRIDATES**, hic Ponticorum ille Pergamnorum regum ultimus, qui cum primis Alexipharmacis ex instituto Empiricorum invenerunt, hisque adeo accensentur merito. Scripsere et libros, qui vero perierunt omnes.

Adsunt tamen duo adhuc carmina **NICANDRI** Colophonii, qui temporibus Attali claruit, alterum Theriacorum alterum Alexipharmacorum nomine. ¹⁸⁾) **HERAE** Cappadocii Empirici apud Ga-

¹⁶⁾ Sprengel l. c. 629.

¹⁷⁾ Galen. de dieb. decret. l. 1.

¹⁸⁾ Nicandri Alexipharmacis, ed. Schneid.

lenum 19) et Celsum, 20) crebra sit mentio, ita tamen ut diu post Heraclidem vixisse dicatur: opera eius ut reliquorum perierunt.

MENODOTI sceptici 21) epilogismus celebratur, cuius sect. secunda mentionem faciemus. Mordacem hominem fuisse oportet, quippe qui Dogmaticos τειβωνικούς, δριμυλέοντας ac δριμυμάργους appellare consueverit. Interea GALenus vix fidem mereri videtur asserens, 22) MENODOTUM utilitati et honori solummodo studentem de omni artis augmento desperasse: nam ipso suo Epilogismo quidnam aliud quam artis potuit quaerere incrementa. At cum ipse Galenus contra huncce virum plurā scripserit, forsitan asserto suo in adversarium, ut fieri solet, aliquid invidiae conicere sategit.

19) De Composit Med. L. 6. p. 452.

20) Celsus, Lib. V, Cap. 22.

21) Sext. Emp. l. c. Sect. 222. p. 57.

22) De dogmat. Hipp. et Plat. L. IX.

THEUTAS, ultimus fere empiricorum, temporibus Hadriani vel Pii Antonini floruit. Certe post Menodotum vixisse Theutam **ex GALENO** 23) constat, Menodotum vero haud inepte sub Hadriano locaveris: hac enim aetate subtilissimae disputationes et principi et populo placebant, omnisque de rebus eruditis disputatio in calumniis et nugis versabatur, et odium quo Galenus in hosce viros ardet, non adeo diu defunctorum memoriam petere videtur: vixit vero Galenus Antonini Pii et Philosophi temporibus.

Neque ego contradicam, si quis asseveret, Theutam cum Galeno simul medicinam fecisse; Theutas, inquam, **ex Empiricis** fere postremus est habendus, verum etiam ex celeberrimis est: nam, etsi Galenus contra eum scripserit, tamen ingenue fatetur, quam egregie Theutas Empiricos contra Dogmaticos defenderit, et quam praeclare de instituenda experientia praeceperit. Eius autem libri, ut reliquorum Empiricorum fere omnium temporum iniuria et Dogmaticorum invi-

23) De libr. prop. p. 366.

dia, imprimitis vero barbarie medicinam obruente,
interciderunt.

§. 5.

Interitum sectae Empiricae veteris temporis definito adscribere haud possumus, cum sententiae late inter doctiores sparsae et multis placentes non nisi magno temporis intervallo interire abolerique soleant. Hoc docet et philosophiae et omnium aliarum rerum intellectualium historia.

Accedit quod ipsa Empiria nequaquam sit adeo absona, ut potius multa et sana et omnium temporum observationibus comprobata exhibeat, et salutaria suadeat, quae et nostris temporibus obtinere debent. Galeni quidem auctoritatem et merita scholae Empiricae plurimum detraxisse haud immerito dixeris. Etsi enim Galenus contra querundam Empiricorum, Menodoti Theutaeque platica nonnulla scripserit, tamen adeo Empiriam ipsam non flocci peperdit, et damnavit, ut potius, quod ex plurimis eius dictis facile evincitur, plura

Empiricorum asserta laudaret, et Empiriae causam
haud raro contra dogmaticos ageret. Verum cum
praeter observationes etiam rationalia rerum occul-
tarum examina admitteret, et Hippocratis, Ascle-
piadisque vestigia pressius sequeretur, non potuit
non in multis a sectae Empiricae placitis recedere
adeoque eadem damnare.

Galenus quidem Academicae scholae ut pluri-
mum sententias approbans, omne sistema medi-
cum reiecit, et cum primis dogmaticum subtili-
tibus magis, quam veris rerum observationi-
bus contextum: necesse igitur erat, ut Empiria
quam dogmaticorum προληψις illi magis arrideret.

Mihi igitur Claudius Galenus auctoritatem
scholae Empiricae veteris maxime videtur concus-
sisse, licet non abnuerim, Methodicorum conamina
haud parum contulisse ad explodendus proprias
empiricorum sententias, neque post Galenum fui-
se medicos inficias ibo, quibus totum empiricorum
systema, siquidem omnino sistema iis tribui pot-

est, utique placuerit: sed quia ex his nulli memoria digni auctores extitere, scholae empiricae finem merito ad Galeni tempora statuimus.

Quominus in enarranda empiricorum historia prolixiores simus, instituti vetat ratio: restat enim praecipuum huius tractationis momentum, scilicet ut de theoria empiricorum eorumque curandi methodo disseramus.



S E C T I O S E C U N D A
D O G M A T I C A.

Supra iam diximus, Empiricos nequaquam agyrtis similes promiscue medicaminibus esse usos, verum potius omnem adhibuisse operam, ut per experientiam probata exhiberent, itaque via a viris et ingenio et doctrina excellentibus inita aegros ad sanitatem reducerent.

Non facile igitur habenda fides est illis, qui absurdia et a saniore mente aliena illis medicis affltingunt, qualia legimus et affecta fuisse scepticis philosophis, et Platoniciis et Peripateticis praestantioribus.

Omnem profecto laudem, quae boni viri est, meretur Claudio **GALENUS**, qui, etiamsi contra Empiricos scripserit ¹⁾ ingenue tamen fatetur, eam sectam a plurimis, qui aliis sectis communes sunt, erroribus esse immunem.

¹⁾ Galen. de subfig. Cap. 13.

Commendat sane Empiricos, quod sui auctoris nomen prae se non ferant, verum potius ab ipsa re, quam colant, experientia scilicet, vocari semalint. Haec vero teste **GALENO** ²⁾ est vel *intuitus* vel *memoria*.

Rationem scilicet prorsus excludebant ab inventione medica Empirici, non quidem eam, quae in omnibus rebus summam obtinere debet (quam sacrosanctam et summam Empirici sequebantur dominam) sed ratiocinia potius damnabant a systematum amatoribus profecta fabricataque, quibus ne lucem quidem pleno die lucere refert **LAERTIUS DIOGENES.** ³⁾

Principium Empirici constituebant unicum idque simplicissimum, Experientiam scilicet, h. e. observationem circa casus humano corpori observientes et circa medicinam, quam singulis casibus quadrare ex intuitu cognitum erat.

2) l. c. C. 2

3) In Platone.

Quum vero vix medico liceat, omnia obser-
vare, memoriam quoque admittebant, id est, ab
aliis rite observata suae methodi fundamentum po-
nebant. 4) In his igitur Hippocratem sequeban-
tur Empirici, qui quoque ex bene observatis regu-
las suis curis praefigere consueverat.

At cum alii, Dogmatici nempe, praeter ob-
servationem rationes quoque admitterent, has pro-
sus excludebant Empirici, ideo quod maximam
partem falsas maleque securas istas deprehende-
rent. 5)

Igitur apparentes causas scrutati, has ut cau-
sas immediatas et proximas omnium morborum
statuebant, qua via malo occurrentum eique me-
dendum sit. In his igitur observare licet maximam
Empiricae medicinae a Dogmatica differentiam;

4) Galen. I. c. C. 2.

5) Celsus praefat.

haec enim dialecticam in scrutamine suo sequebatur, illa vero hanc prorsus exulare iubebat.

Cum enim Dogmatici plurimum in suis syllo-gismis errarent, Empirici omnem dialecticam ad ar-tes, igitur ad medicinam quoque inutilem pla-ne censebant, ($\mu\eta\delta\acute{e}$ διαλεκτικῆς δεῖσθαι μηδεμίαν τέχνην.⁶⁾)

Observationi deinde et experientiae adiungebant *historiam*, seu commemorationem eorum, quae experientia constituerint. In hoc vero secundo scholae suae fundamento struendo satis memorabilem atque laudandam posuerunt industrias: cum doctrinam de inductione sedulo exultam cum hac parte coniungerent, atque, quae sint vera aut probabilia aut falsa ex rite instituta inductione efficere praeciperent.

Symptomatum quoque cum morbis nexus laudabili ratione exposuerunt: primi enim distinxerunt

6) Galen. de sectis ad introduct., p. 12.

essentialia symptomata ab accidentalibus, et causarum remotarum actionem in morbos perspicue explanare sategerunt.

In eiusmodi vero inquisitionibus a dogmaticis penitus alieni erant, quod nusquam a definitionibus γενεθμάτες aut realibus proficiserentur, sed experientia docti, solas praemitterent *hypotyposes*, seu definitiones nominales, quippe quae tantum aberat, ut ortum occultum exponerent, ut potius e concursu symptomatum colligerent id, quo morbus ab aliis dignosci possit. Hinc gravissima pathologiae pars, Diagnostica, valde commendata empiricis, insigniter ab illis exulta fuit, neglecta vero a dogmaticis.

In remediis vero eligendis et diiudicandis primi fere empirici sola μεταβάσει τοῦ ὄμοiou, seu transgressu a similibus ad similia nitiebantur. Similitudinem eam in solis quaerebant qualitatibus sensibilibus, neque ad occultas indoles respiciebant. Hinc omnino penitus differebat ea μεταβά-

σις a dogmaticorum analogismo, quippe qui ratione
ciniis de morborum caussa proxima superstructus
erat. Cum vero ea disciplinae pars coecae fere
empiricae viam aperire videretur, a **MENODOTO**
Nicomedensi abrogata, eique epilogismus substi-
tutus fuit.

Syllögismis autem dogmaticorum suum *epilo-*
gismum opponebant, qui ita constituebatur: Quic-
quid in medicina ex notionibus obscurisque rebus
concluditur, male securum est erroribusque valde
obnoxium, neque potest exinde via ad veram curatio-
nem patere; quum vero dogmatici notiones resque
obseuras sectentur, dicere licet, illos in suis cu-
rationibus numquam aliquid secure posse proponere,
sed semper in rebus incertis versari. 7)

Interea tamen credibile haud est, Empiricos
neglexisse, quae ad cognoscendos morbos utilia sunt,
anatomiam scilicet, indicationem, physiologiam

7) Celsus praef. Sprengel, l. c. p. 625.

et alia. Anatomiam enim, ut eo tempore colebatur, partim ob crudelitatem partim ob turpitudinem aspernebant: 8) attamen quae poterant per casum observari, summo cum studio observabant Empirici, indeque illa τραυματική Θεωρία suum nomen traxisse videtur.

In physiologia quidem subtile discussiones flocci pendebant dogmaticorum, verum cum semper observatis insisterent, nemo sane tam excors erit, ut Empiricos tanquam a physiologia alienos describat. Provocare solebant Empirici ad rationem qua ipsa medicina orta erat: scilicet nec post rationem (philosophicas discussiones subtiliter institutas) medicinam esse inventam, sed post inventam medicinam rationem esse quae sitam. Requiri etiam, si ratio idem doceat quod experientia, an aliud? si idem, supervacuum esse, si aliud, esse contraria (noxiam). 9) Ex dictis jam licet omnem theo-

8) Galen. l. c. p. 12. Celsus praef. p. 4.

9) Cels. praef.

riam Empiricorum colligere: scilicet morbos iis medicaminibus curabant, quae jam juvasse constabat, semperque ad indicationem ex observatis concluēbant; nequaquam vero ab obscuris rebus viam sibi monstrare patiebantur.

§. 2.

Quamvis vero Dogmatici et Empirici ratione inveniendi inter se distent quam maxime, tamen si ad curationes ipsas respiciamus, vix a se invicem differunt. ¹⁰⁾ Secabant in iisdem morbis venas, dabābant emetica, emulsiones, aliaque, ubi haec a dogmaticis quoque exhibebantur. Ipsa illa medicamina, quae supersticio et ignorantia suadebat, utrisque communia erant, e. g. cerebrum cameli, testes apri et alia eiusmodi surfuris. In medelis igitur ipsis nulla omnino est dissensio Dogmaticorum et Empiricorum, sed tantum in inventione.

¹⁰⁾ Galen. de sectis ad eos qui introduc. pag. 12. Celsus l. c.



At non est credendum, Dogmaticos et Empiricos plane eadem semper dedisse, sed constat potius, hos multo magis quam illos, de medicaminibus suisse meritos. Nam cum Empirici experientiam tantum sectarentur, plura eos detexisse oportuit, quam dogmaticorum rationem: hincque factum est, ut Empirici medicinas habereant, quae dogmaticis plane erant ignotae.

Heraclides e. c. Tarentinus materiam medicam eo usque neglectam laudabili studio auxit,¹¹⁾ cum, ut unum de multis afferam, antidota seu alexipharmacum ex opio, cicuta et hyoscyamo componeret. Nullius quoque auctoritatem sequens, quae ipse observaverat, normam suae methodi posnebat.¹²⁾ Opium autem praecipue adhibebatur, ejusque rationem, anginam, tetanum, choleram at-

11) Galen comm. *κατ' ιατρούς*. p. 662.

12) Galen. de facult. simpl. medic. L. VI. p. 68.

que alios morbos curandi, celebrat Cl. Sprengel.¹³⁾
Contra elephantiasin in Aegypto, ubi vixit Hera-
clides, data sunt Cosmetica, quorum praeparatio-
nem multis modis ornavit. ¹⁴⁾

Non absque ratione *Attalum Pergami et Mi-*
thridatem Ponti reges Empiricis accensueris: quo-
rum uterque experientiis institutis utilissima medi-
cina reperit et hujus Theriaca etiam ad nostra
tempora celebrantur. Nam cum plures morbos a
venenis oriri viderent, venena ipsa studiosius scruta-
tati sunt et contra eadem antidota examinaverunt.

Clarissima sunt carmina *Nicandri Colophonii*,
in quibus exactissimae venenorū descriptiones et
adversus ea medicinae describuntur. Adeo bene
noverat Nicander animalia venenata, ut hodie ejus
distinctiones scorpionum in novem clāssēs obti-

13) l. e. p. 653.

14) Galen. de comp. med. sec. locā. Lib I. p. 155.

neant, ejusdemque descriptio *Amphisbaenae Linnaei* testimonio confirmetur.¹⁵⁾ Plurimum quidem Nicander versatur in examine veneni animalis, ita tamen ut non negligat venena vegetabilia et mineralia, e. c. aconitum, coriandrum, cicutam, colchicum, hyoscyamum, lotum dorycinium, cerussam albam, lithargyrium et alia. *Heras Cappadox*, qui diu post Heraclidem claruit, de materia medica et pharmacia magnum sibi nomen acquisivit, quem et accurate de praeparandis unguentis praeciperet et celebre antidoton inveniret.¹⁶⁾

Menodoti Epilogismus notissimus est, quem supra jam exhibuimus, et Theutae divisio artis medicae in indicatoriam, curatoriam, et salubrem suo fundamento haud destituitur.

15) *Linnaei amoenit. academ.* Vol. I. p. 295.

16) *Galen. de antidot. Lib. II.* p. 449.

§. 3.

Et haec quidem sunt, quae hac diatriba de Empirica schola dicere, volui. Plura quidem sunt, quae de Empiricis afferri possunt, sed meo scopo satisfactum esse videtur, quum, ut credo, satis demonstraverim, Empiricos non solum multa assecutus esse merita, sed majora quoque quam quae dogmaticis tribui possunt.

Errasse Empiricos non abnuo,¹⁷⁾ sed, si erraverint, id maxime adscribendum est dogmaticis, qui suas opiniones ex ratione haustas nulloque experientiae testimonio firmatas, pro veritatibus vendere solebant certissimis. In eo certe Empirici rectissima via sunt ingressi, quod experimentis et observationibus cuncta tribuebant, et nemo unquam bonus evasit medicus, nisi qui rejectis systematis et rationibus, a priori, ut ita dicam, deduc-

¹⁷⁾ Cels. praef.



tis soli experientiae recte et accurate institutae
insistens, morbos tollere studet: ita enim, quae
verba sunt, *Gaubii*, 18) constat Hippocrati
sua auctoritas, Galeno fides, naturae vir-
tus et ordo.

18) Pathol. §. ult.

T H E S E S.

I.

Virginitatis signa incerta sunt.

II.

Dysenteriae causa proxima in aucta intestino-
rum irritabilitate consistit, in primis autem intesti-
num rectum haec irritabilitatis exaltatione corre-
tum est.

III.

In honine vivo sanguis putris non reperitur.

III.

Vermium signa non existunt pathognomonica.

V.

Praeparatio infantis sani ad insitionem variolarum superflua, imo noxia est.

VI.


Non datur status sanitatis vel morbi absolutus,

VII.

Idonea fractorum ossium curatio luxuriem callinunquam admittere videtur.


VIII.

Caustica remedia in carie fere plus nocent quam prosunt.



PICA





(4)

D E

VETERIS EMPIRICAЕ SCHOLAE
D I G N I T A T E,

AUCTORITATE FACULTATIS MEDICAE,
PRAESIDE

C U

G R A

D I

C A R

T Y P

